





DISSE<sup>11</sup>  
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-BOTANICA,

DE  
**CORONOP**  
OPTIMO COELIACORVM  
ACETARIO,

QVAM,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PLVRIMVM REVERENDO ET EXIMIO

**DN. JO. DANIELE RICHARDO**  
SPOENLA,

ECCLES. COLLEG. AD S. SEVER. CANON. CAPIT. ET SCHOLAST. S. S. THEOL.  
DOCTORE, SACRAE FACULT. ET JUDICII ECCLESIASTICI ASSESSORE

ET PROF. PVBL. ORDINARIO,

INDVLTV GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
IN ALMA ET PER ANTIQVA HIERANA,

P R A E S I D E

**DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,**

SACRI PALATTI CÆSAREI COMITE, FACULTATIS MEDICÆ SENIÖRE, PATHOL.  
ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO,  
SERENISS. SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSILIARIO  
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS.

COLLEGA,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,  
**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

**JOANNES WILHELMVS DIETZ,**

*Eussenbus. Francus, A. A. L. L. & Philosoph. Magister.*

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.  
DIE XXIII. IUNII, A. M DCC XXXIX.

ERFORDIAE, Litteris HERINGII, Acad. Typogr.

DERRATIO INAGARIA MEDICO-BOTANICA

DE

CORONOP

CHITZ-GOTTSCHE

AGATRIO

DI. DE. D. H. B. I. N. O. N. O.

CHITZ-GOTTSCHE



DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS BOTANICÆ  
DE  
**CORONOPO**  
**OPTIMO COELIACORVM**  
**ACETARIO,**

PROÆMIVM.



Arum, quæ ore assumuntur rerum,  
triplex deprehenditur effectus: Quæ-  
dam enim horum concoquuntur  
& assimilantur corpori, ut illud vel  
augeatur quoad omnes suas dimen-  
siones, vel conservetur & roboretur, hinc *ali-*  
*menta* vocantur; quædam alterant humores  
in crasi & mixtione, simulque actuuntur & su-  
perantur à visceribus, ideoque *medicamenta*

A 2

no-

nominantur; quædam plane adversa sunt œconomiae corporis nostri, dum nempe corrupti & destruunt partes solidas atque fluidas, eaque propter *venena* adpellantur. Istis nullus hominum vacat, aut in totum vacare potest; illæ ingeruntur curandi aut præservandi fine; hæc omni studio, utpote pestis salutis humanæ, evitantur & fugiuntur. Quoad illam vero præservationem, probe etiam attendendum & considerandum est, quale cœlum, quale tempus anni sit; facilius enim eam in vere, quam reliquis anni temporibus homo sustinet; facilius fit cibis medicamentosis, quam medicamentis solitariis; facilius unitis pluribus, virtutem augendo, nocivam facultatem corrigendo, quam paucis & simplicibus; facilis in tantum præparatis, quam crudis. Hinc non inepte ab antiquissimis jamjam temporibus commendata deprehendimus olera, herbas esculentas & acetaria, inter quæ cum etiam **CORONOPVS** militet, & pro præstantissimo coeliacorum acetario semper reputatus sit, paucis hinc, Speciminis inauguralis loco, in generales æque ac speciales ejusdem vires inqui-

quirere placet, cui conatui, ut clementissime benedicat Deus T. O. M. eundemque in Nomini sui gloriam, & proximi pariter ac proprium meum emolumentum vergere sinat, devotissime precor.

## §. I.

**H**abendam esse rationem regni vegetabilis, tum quod alimenta sanis corporibus, cum quod medicinam ægris promittat, nemo inficias ibit, nosque exemplo *Coronopi* dabimus demonstratum.

## §. II.

Est autem *Coronopus*, secundum DIOSCORIDEM oblonga herbula, per terram strata, fissis foliis, radice tenui.

Diversis itaque plantis in re herbaria idem cum imponatur nomen, opus utique erit, ut singulas hasce species prius recenseam, brevibus simul subjungendo illas notas, quarum intuitu quælibet ab altera differt.

Est ergo

I. *Coronopus hortensis* C. B. P. 190. *Coronopus*, *Trag*, *Matth. Fuchs. Ang. Tur. Lac. Lonic. Ad. Tab. Eyst. Becc. *Coronopus stativus*, *Cord. Hisp. Cast. Cæf. Cam. domestica*, *Beccher. verus*, *Cord. in Diosc. Gesn. hort. Pseudocoronopus*, *Dod. Gal. Cornu cervinum Lob. Ger. *Coronopus tenuifolius laciniatus Neapolit. Colum. Ecphr.* Herba stella, sive cornu cervinum,**

- num, *Dod. Becch.* *Coronopus*, sive *cornu cervinum*,  
 vulgo *spica plantaginis* *J. B.* *Coronopus vulgaris*,  
 sive *cornu cervinum*, *Park.* *Coronopus*, *herba stella*,  
*cornu cervinum*, *Coronopus vulgaris*, *Chabr.* *Plantago Coronopus* *dicta sativus*, in *Acetariis utilis*,  
*Pluk. Alamag. Bot. Volkam.* *Plantago* *foliis laciniatis*,  
*Coronopus dicta*, *Raji Synops. coronatus* *Dioscorid. Ltb. I.*  
*cap. 123.* *Theophrast. Plin.* *Corne de Cerf Gallorum*,  
*Amat. Lobel. Verzach. Chabr. Lemery, Pied de corneille*  
*Gall. Lob. Capriole, Gall. Chabr. Becch. Tab. Verz.*  
*dent du chien, sanguinaire herbe, Verzach.* *Corono-*  
*po, herba stella Ital. Chabr. Coronopo domestico*,  
*herba stella & cornu cervino Ital. Tabern. Guiabelha*,  
*Lusit. Lob. Tab. Yerva estrella, Hisp. Lob. Buckhorne*,  
*& Croufoote, Engl. Lob. Tab. Crayen voet &*  
*Hertshoren Cruyt, Belg. Lob. Wranii noha, Bohem.*  
*Tab. Krähen-Fuß Tab. Fuchs. Dale. Elsholt. Lob. Becch.*  
*Loniz. Windeler, Lemery, Schlangenzwang, Lemery*,  
*Nappens-Fuß, Chabr. Trag. Hirsch-Horn, Hirsch-Gras*,  
*Tab. Verz.*
- II. *Coronopus sylvestris hirsutior*, *C. B. P.*
- III. *Coronopus maritima major*, *C. B. P.*
- IV. *Coronopus maritimus tenuifol. laevis* *C. B. P.*
- V. *Coronopus maritimus minimus* *C. B. Prodr.*
- VI. *Coronopus*, sive *Serpentina Matth. Holosteum stri-*  
*atissimo folio majus C. B. Prodr.*
- VII. *Coronopus altera, Cæs. minor Tab. Holosteum*  
*strictissimo folio majus, C. B. Prodr.*
- VIII. *Coronopus Massiliensium, Lugd. Tab. Holosteum*  
*Massiliense, C. B. P.*
- IX. *Coc.*

IX. *Coronopus sylvestris*, *Trag.* *Holosteum affinis*, *Cauda muris*, *C. B. P.*

X. *Coronopus Ruellii*, *Dod. gal. Ges. bor. Lugd.* *Ambrosia campestris repens*, *C. B. P.* *Cornu cervi alterum repens*, *Dod. Pseudoambrosia*, *Nasturtium verrucarium quibusdam*, *Camer. in Matth. Carara*, *Casalp.*

§. III.

Ex hisce autem enumeratis plantis, quoniam pri-  
mam potissimum heic loci considerandam selegimus,  
ante omnia paucis rationem diversæ denominationis  
reddendam esse judicamus. Dicitur autem illa *Coro-*  
*nopus* à *xopōis* *Cornix* & *πες* *pes*, quia inter figuram folio-  
rum & pedis nominatae avis similitudinem quandam  
Botanici animadverterunt. Quod *cornu cervinum* re-  
präsentent folia, aliis visum est, inde sic quoque dicta  
fuit. *Capriola* audit, quod capris grato sit pabulo.  
*Sanguinarium Galli* & *RVELLIUS de natura stirpium p.*  
373. appellant, quod naribus indita sanguinem eliciat,  
quod etiam olitorum huic plantæ impositum nomen:  
*Dentem canis* ab acumine folii vocant. A virtute au-  
tem, venenum, mediante serpentis morsu, in corpus  
illatum expellendi, *Schlangenzwang* dicta fuit, quem ef-  
fectum tamen potius recensitæ sub numero VI. speciei,  
ob signaturam foliorum attribuunt. *Ambrosia* cogno-  
men decimæ in ordine speciei in primis concessum,  
derivatur a *βρωτις* cibus & *θεος* Deus, quasi dicas: Deos  
hac planta nutriti. Tandem quoniam capsules habet  
verrucosas, cristatas, hinc *Nasturtium verrucarium* audit.

§. IV.

Ista vero primo loco nominata species, ratione  
STRU-

structuræ nunc examinanda, radice nititur candida,  
 tereti, novem circiter digitos longa, dimidium digitii  
 crassa, ab uno hujus capite folia emittit numerosa, fere  
 dodrantalia, graminis modo angusta, canaliculata,  
 crassa, pinguia & in extremitatibus hirsuta, supra me-  
 dium utrinque in partes veluti ungues distracta, denta-  
 ta, quæ RAJVS laciniata nominat, divisionibusque suis  
 cervinis cornibus similia, propter copiam humi undi-  
 que in orbis vel stellæ formam prostrata, inter quæ  
 distincti caulinæ circa initium æstatis erumpunt, spi-  
 tham longi, teretes, subhirsuti, graciles, quibus in-  
 sidet, (si secundum methodum Rivino-Tournefortianam loqui placet,) flos perfectus, simplex, regularis,  
 tetrapetalos planus, in summitate prælonga spica de-  
 natus, semine nudo unico, juxta KRAMERVVM Tentam.  
*Bot. pag. 64.* (quorum tamen bina vel plura, vaseculo  
 inclusa, statuit RAJVS Meth. Plant. p. 26. E 100.) Nota  
 Gener. & Spec. adfert VOLCKAMMERVS his ver-  
 bis: „Sunt semina oblonga ab altera parte nonnihil concava,  
 „ad singulum florem bina, pericarpio membranaceo univalvi  
 „elliptico, per maturitatem horizontaliter rumpenti, inclusa.  
 Radix gustu cum aquæ dulcedine & modica acrimo-  
 nia, parum adstringit, folia saporem dulcem & ali-  
 quantalum falsum habent. Monspelii spontaneum  
 ejus proventum observavit CHABRÆVS; BECCHE-  
 RVS solum natale nominat Italianam; feritur vero etiam  
 in hortis, in quibus eo lætius germinat, quo frequen-  
 tius absinditur & gravioris cylindri volutatione fir-  
 mius terræ imprimitur.

§. V.

## §. V.

Multæ proinde circa plantam hanc motæ sunt lites inter Botanicos, partim externas, partim etiam internas ejus qualitates & vires concernentes. Sic PLINIVS eam aculeatam esse dixit, quod quidem de hirsutie foliorum, & aculeo molli intelligendum, uti bene MATTIOLVS monet, interim multis occasionem dedit, anxie inquirendi unde nempe factum sit, quod PLINIVS DIOSCORIDI contradicat, dum ille Coronopum inter plantas aculeatas refert, hic vero illum inde excludit. HERMOLAVS BARBARVS hinc deceptus putavit Coronopum Dioscoridis esse *Flammulam*, quoniam autem non arrodit carnem, neque risum lethiferum movet, & sola foliorum similitudo huic cum *Flammula* intercedit, hæcque oleris instar comeditur, specifica statim patet differentia, monente AGRICOLA *Herb. Lib. I.* p 94. Deinde quoque à quibusdam planta illa, a NIC. LEONICENO *Capriola* & *Sanguinella* appellata, pro Coronopo *Dioscoridis* venditur, ast MANARDVS FERRARIENSIS hoc rejicit, decisione desumpta modo ab habitu externo, cum descriptione DIOSCORIDIS non conveniente, modo ab usu, quem DIOSCORIDES adducit, dum eandem in cibo cœliacis conducere, & in olere coqui, refert, cum è contrario *Sanguinella* nusquam in cibis sumatur, sed in brutorum tantum venit pabulum, quæ idcirco mihi me Coronopus *Dioscoridis*, sive *hortensis* C. B. P. est, sed Gramen *dactylon* folio latiore IV. C. B. P. cuius semen Schavi, Carniolæ incolæ, item Goritienses colligunt, de-

B

glu-

glubunt, & carnium jure decoqvunt, quæ grana, gu-  
stui non ingrata, Germani Himmel-Thau vocant.

§. VI.

Idem Gramen Daetylon, fol. latiore C. B. P. KYBE-  
RVS Lex. rei herb. p. 120. pro Coronopo Dioscoridis habet,  
dicens: „Sunt qui ē Romanis Coronopum sanguinalem vo-  
„cant, quoniam aculeis armatur quinis in acumine, quos  
„convoluros naribus inferunt, ciendi sanguinis gratia. Hæc  
descriptio vero Gramini nominato competit, uti ex  
SCHEVCHZERI Agrostographia . p. 102. & 103. videri  
potest. Verbis quidem gaudio plenis, ex labyrintho  
Ranunculi specierum redux BRUNFELSIUS, exclamat:  
Ranunculus est Coronopus Dioscoridis; gravi autem eum  
statim castigatione premit MATTHIOLVS dicens:  
Brunfelsius, quæ multorum est pertinacia, maluit cum rei  
herbariæ imperitis errare, quam cum doctis & peritis recte  
sentire. Huic accedit APULEJVS Cap. XLVIII. qui,  
dum Ranunculum vocat Gallicrus, sub hoc intelligere  
videtur Coronopum Dioscoridis.

§. VII.

Data sic exacta descriptione, allatisque simul ex  
probatisimis Botanicis, illis nominibus, quæ alias  
quoque Coronopo Dioscoridis, primæ hic nominatae spe-  
ciei imposita fuerant, plures alios lubens mitto Aucto-  
res, Coronopum illum Dioscoridis minus recte describen-  
tes, totoque coelo diversas hoc nomine plantas pro-  
ferentes, progressum potius ad vires & usum facturus,  
generaliter notando, quod Coronopus noster prædi-  
cus deprehendatur virtute refrigerandi, siccandi, ad-  
strin-

Stringendi & sistendi cœliacas pâssiones. Conf. DANTZ  
de simpl. medie. facult. p. 24.

§. VIII.

Nostrum jam non est vires ab Antecessoribus de-  
testas de novo indagare, sed potius eorum vestigia pre-  
inere & Coronopi legitimum usum monstrare. Mo-  
dum enim, simplicium medicamentorum facultates  
cognoscendi, exactissime jamjam monstravit Herm.  
GRVBE in peculiari commentario. Interim repetere de-  
lectat, antiquioribus Botanicis solenne fuisse, faculta-  
tes vegetabilium determinare, tam secundum princi-  
pia universalia, ratione nimirum à priori, & experien-  
tia à posteriori; quam particularia, modo extrinseca,  
modo intrinseca. Quoad extrinseca principia de co-  
lore ORIBASIVS Evporist. p. 48. scribit: *Fulvum est*  
*nigro calidius; flavum est calidissimum, deinde fulvum, tum*  
*rubrum, post hoc dulce, postremo album minus cæteris cale-*  
*facit. Ex colore itaque viridi totiusque Coronopi ob-*  
*scuro, frigidum esse; ex foliorum (respectu aliarum*  
*plantarum) aridiori habitu eum siccare concluserunt;*  
*& ex eorum positu circulari in terra, ut & incisura fo-*  
*liorum, signaturam referente meserei, intestinis tenui-*  
*bos alligati & cœliaco affectui in primis obnoxii, plan-*  
*tam hanc cœliacis utillem fore putarunt; ex sapore*  
*randum acri de virtute adstrictoria, siccante certiores*  
*redditi sunt, quod quoque FVCHSIVS plantar. bifi. p.*  
*m. 440. confirmat Horum vero auctoritati, qua-*  
*niam præsenti seculo fides derogatur, hinc experientia*  
*contenti, ad diligenter à veteribus notatas Coronopi*

virtutes, melius nunc ejus ope indagandas, nos accingimus.

§. IX.

*Coronopum acetariis adnumerari CORDVS in Dioſe. cum multis aliis fatetur, ubi illud quoque notandum est, quod ejusmodi Acetaria, seu Salaria, juxta Montagn Conf. 41. apud Romanos jam olim fuerint usitata, inde HORAT. 2. Sat. 2. 61.*

*Cornu ipſe bilibri*

*Caulibus infillat veteris non parcus aceti.*

Sicut autem veteres coenas iisdem cladebant, quod ebrietati oblectarentur; ita recentiores ad provocandum adpetitum eas acetariis aperire consueverunt; hinc MVNDELLA Epift. medicinal. 25. p. 356. eadem commendat, quod primis mensis sumta, vim habeant ad solvendos & abstergendos humores, in orificio ventriculi hærentes, qui adpetitum lœdunt.

§. X.

Quoad materialia, Acetaria ex oleribus, cum oleo, sale & aceto præparatis constabant. Acetum quod attrinet, silentio non prætereundum est, illud spiritus vitales recreare, notante BARTHOLINO Cent. 4. bifft. 13. prodeſſe plethoricis obesis & junioribus, juxta QVERCETANVM in Diæt. Polybif. multum valere aduersus venenum pestilentiale, ex commendatione PALMARI de Febr. Pestil. c. 18. HEVRNII de peſte c. 8. & HENNEMANNI in Id. Loim. p. 25. Conf. BARTHOLINI Cista Med. Conf. III. & VNTZERI Antidotar. Pestilent. Lib. II. diſtinct. I. §. 50 p. 174. 243. 261. Ad putredinem in febribus acutis avertendam & emendandam

dam laudat illud PLATERVS T. 2. Pr. C. 2. p. 113. & in  
lue Hungarica OBENDORFF de lue Ung. p. 257. Tan-  
quam egregium antidotum narcoticorum, nempe Ci-  
cuteæ, Papaveris, Hyoscyami, Mandragoræ, Solani &  
Croci, acetum, acetaria & acida commendant TRA-  
GVS, Lib. I. Hist. Stirp. c. 159. FRICCIUS de virtute ve-  
nenorum p. 341. Contra ictus serpentum laudatur à  
QVERGETANO Pharmac. restit. c. 24. qui illud dis-  
suadet senibus, macris, extenuatis, lienis, uteri & pul-  
monum vitiis laborantibus. Plura de aceti usu am-  
plissimo & multifario vid. in SACHS. à LEWENHAIMB  
Ampelographia p. 536. sq. Bene itaque sibi consulunt,  
qui aëre verno existente graviori, impuro, adpetitumque  
prostrato, æstuantem sanguinem sumto aceto refrige-  
rat, miasmata morborum epidemice grassantium,  
cum aëre inter respirandum in corpus delata, extin-  
guunt, viscositates in ventriculo latitantes attenuan-  
do, adpetitum excitant, multo magis vero, si herbis  
medicatis aceti virtus augetur & cum obsoniis medi-  
camentosis ingeritur.

## §. XI.

Inter Plantas huic scopo idoneas Medici in primis  
*Lactucam sativam*, cum suis speciebus & *Intybum* pro-  
calore temperando, somno conciliando, lacte augen-  
do commendarunt; *Portulacam hepatis*, *ventriculi* &  
intestinorum vitiis mederi dixerunt; *Ranunculum efü-  
lentum* adpetitum acuere, urinasque movere observa-  
verunt; folia *Bellidis minoris* ventrem emollire, laxa-  
re, tussim & spirandi difficultatem tollere, immodeo  
DATVS Panib. 3. 22. aliique phthisicos sanare, annota-  
runt;

runt; *Cochleariam*, *Chelidonium minus*, *Nasturtium aquatum* & *Beccabungam* in scorbuticorum solatium cedere, obstrunctiones viscerum referare, morbosque expellere tartareos, contendunt; cymas *Napi*, *Lupuli*, *Lappa majoris*, obstrunctiones aperire, sanguinem depurare, scabiem sanare, docuerunt; turiones *Asparagi* obstruta evacuare viscera, ad peritum stimulare, ventriculum roborare, viros potentes, foeminas steriles reddere, adfirmarunt. Sed oceanus per quirendorum se offerret, si usus *Pimpinellæ*, *Spinachii*, *Chærefolii*, *Dracunculi*, *Erucae*, *Sonchi*, *Tragopogi*, *Artoffi*, *Sanguisorbæ*, *Locustæ*, *Podagariae*, Ceparum omnis generis, aliarumque in acetariis usualium vires enumerare vellem, jam tantum **DIOSCORIDE** auctore monendum adhuc esse duco, *Coronopum* merito quoque inter acetaria referendum esse, (quod *TABERNÆMONTANVS*, *CORDVS* in *Diosc.* *LONICERVVS*, aliique confirmant,) & in primis sub hac forma cœliacis optime condu-

cere.

## S. XII.

Est autem *affectus cœliacus*, ingeniosissimo definiiente **PITCARNIO**, *Def. LXXI.* mala chyli distributio, per celerem alimentorum ad intestina transitum ac dejectionem. Dum vero omnes exercitatos Praeticos, quos inter in primis nominandus est **Illustris J. E. STAHLIVS** *Diff. de Intestinis* *Sec. II. Memb. II. Artic. I. p. 39.* idem statuere deprehendo, merito miror, unde **PICTORIVS** in *expositione Macri de herb. virt.* cap. 6. de *Plantagine* definitionem hanc falsam desumserit; *Ciliaci* vocantur, qui *alvum* induratam habent, que nihil

nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit. *Corn. CEL.*  
*s vs quidem Lib. IV. Caput XII. de Cæliaco ventriculi*  
*morbo inscribit, sed longe alium affectum intellexisse vi-*  
*detur, quam qui alias à Græcis aut Latinis sub hoc no-*  
*mine fuit indicatus, & quantum conjicere licet borbo-*  
*rygnum, seu rugitum intestinorum cum cœliaca con-*  
*fundit, idem statuente RONSSEO in Commentario, adeo*  
*ut Alexander BENEDICTVS de morborum signis, causis,*  
*indicationibus & remediis Lib. XX. p. m. 718. Cap. VII.*  
*distinctionem quandam facere, duasque diversas cœlia-*  
*cas statuere coactus tuerit.*

## §. XIII.

Derivatio autem vocis neque pro uno, neque pro altero militat: Græci enim *κοιλαῖ* ventrem dicunt, & intelligunt cavitatem sub diaphragmate, ubi & arteria cœliaca reperitur, & ad *κοιλαῖ*, id est ventriculum, ramos transmittit. Alias hic merbus *passio ventriculosa* vocatur, & ægri *ventriculosi*, qui subito universa dejiciunt, apud RHOD. ad SCRIB. p. 159. His ergo quoad nominalem acceptancem præmissis, nunc ad perscrutationem causarum transeo.

## §. XIV.

Cœliacum ergo affectum producentes causæ communiter in læsione quadam organorum chylificationi inservientium quærendæ sunt: modo enim ventriculi vitium concurrens in menstruo ejusdem, modo in atonia orificii dextri consistit, unde chymus citius exit, consentiente III. WEDELIO: modo fibræ orbicularis in secunda tunica ventriculi morbo pressæ, ex DOLÆI sententia; modo porus pancreaticus obstru-

ctus

Etus ad diluendum chy!um nihil suppeditat, hinc crudior orificia lacteorum intrare nequit; modo ductus cholodochus parum bilis reddit, juxta ETTMÜLLERI mentem; modo sese offert obstructio vasorum lacteorum primi aut secundi generis, SYLVIO & BOERHAVIO Instit. §. 578. notantibus, illorum quidem quoad orificia in tunica tenuium intestinorum interiori, villosa dicta, horum autem ratione glandularum mesentericarum, juxta LANGII explicationem; modo universa massa sanguinea acres humores per arteriam cæliacam adfert, & per hujus ramum dextrum ventriculo, hepatici, pancreati, duodeno & vesiculæ felleæ; per sinistrum quoque ventriculo, pancreati atque lieni infundit, huncque alvi fluxum producit, ex annotatione WILSILL.

## §. XV.

Differt autem praetens affectus cæliacus à Lienteria dejectionis tempore & materia: In hac dejiciuntur statim post assumptionem, qualia fuere devorata, neque colore, neque odore, neque consistentia mutata, auctore GALENO Comment. aphor. primi 6. lib. ac 22. 3. § 12. 4. lib. In illo exitus assumtorum non tam velox est, neque omnino adeo cruda & incocta deponuntur; ita cœliaca affectio Lienteriam præcedere solet, & minor gradus Lienteriae est. GALENVS 6. de loc. affect. cap. 2. AETIVS Cap. 37. lib. 9. WEDEL. Exerc. Senior. Path. Cap. XL. p. 99. RIVERIVS Prax. Med. Lib. X. Cap. IV. in fine.

## §. XVI.

Corpora hoc genere adversæ valetudinis oppressa, mi-

minime tuta, sed periculis sat gravibus exposita sunt, quia si non tempestive curatur, in cachexiam, vel atrophiam desinit. Vid. WALDSCHMIDII Op. Med. Pract. p. 173. Si diutius ægrum affigit, viam sternit ad mæram, vel hydrozem, notante eodem Auctore in Diff. de ventriculi & intestinorum morbis. Si à glandulis mesenterii induratis, ac dispositione scirrhosa oritur cœliacus fluxus, est incurabilis. Vid. triplex observatio in DIEMERBROECKII Anatom. Lib. I. Cap. VIII. de Mesenterio p. m. 40. Pluribus vero cœliacum affectionem pertractare, nec loci nec instituti ratio permittit, hinc Lectorem ad Practicos, & inter Veteres AETIUM referabili. 3. Sect. I. C. 37. Anton. ab ALTONARI Cap. 71. p. 313. remittere placet. Sufficiet enim indicasse, quidnam proprie per cœliacum intelligatur affectionem, diarrhoeæ nempe species, & mitior Lienteriae gradus, non vero CELSI Cœliacus, simulque MATTHIOLVM, LOBELIVM, HARCHIVM, GESNERVM, FVCHSIVM, TRAGVM nominasse, DIOSCORIDI in eo subscriptentes, quod Coronopus in cœliaco fluxu singulari specifica præditus sit virtute, id quod etiam GALENVS confirmat, dum Lib. VI. simplicium medicam. scribit: Coronopidis radix cœliacis prodeesse creditur manducata.

## §. XVII.

His ita præmissis à morbis ventriculi & intestinorum tenuum ad crassorum vitia progredior, notans, PAVLVM equidem Coronopum commendare in Colica, ast, uti videtur, sine experientiæ suffragio; hinc GESNERVS in Hist. plant. dicit: Apud Paulum κορωνός pro κορωνώς perperam legi. Dein plantæ nostræ virtutem car-

C

carminativam attribuit HARCHIVS in Enchirid. Medic. p. 79. hunc in modum canens:

*Coronopus*

*Cæliacos sanat, flatusque incommoda tollit,  
Decoclo renum conteriturque lapis.*

Dolores lancinantes lumborum illum sistere, Lemery asserit, qui quoque eundem contra Diarrhoeam & Dysenteriam laudat. Ventrem relaxatum adstringere, cum jam nominato LONICERV & BECCHERVS statuunt. PLINIVS Coronopi radicem sub cineribus assatam, siccataisque comedam, adversus alvi fluxum omnis generis commendat.

§. XVIII.

Præterea virtus hujus plantæ tonica, leniterque adstringens, uti in ventriculo intestinisque, tam tenibus, quam crassis, sic quoque in urinæ secretioni destinatis organis, renibus nempe, vesica atque urethra se exserit, si vel tanquam olus comeditur, vel radix ejus pulverisata ad scrupulum unum sumitur, calculum frangendo fabulumque potenter pellendo, testantibus id VERZA SCHÄ im Krauter-Buch p. 225. TABERNÆMONTANO & HARCHIO. Assertam vim adstrictoriam, quoad Hæmoptysin curandam, atque uteri fluxum fistendum, BECCHERVS Parn. Med. p. 195. TABERNÆMONTANVS L. I. p. 377. ET VERZASCHA L. defendant, cui ultimus, unacum ARCHIGENE apud AETIVM, Hydrozem curandi, Pestemque præcavendi facultatem (si in cibo comedatur) superaddit. Sic quoque ex commendatione Jac. SYLVIT in Diæta adhibita tempore pestis malignitati resistit. Morsus animalium venen-

to-

torum MATTHIOLVS, TABERNÆMONTANVS & BECCHERVS succo expresso Coronopi contusi, ad unciam unam alteramve sumto, facilius curari arbitrantur. Si etiam imbecillitas quædam interna oritur, Coronopum travmatico atque vulneratio gaude-re effectu citatus LEMERY scribit.

## §. XIX.

Dum porro à quibusdam Botanicis Coronopus inter Plantaginis species refertur, (contradicente tamen in eo Illustri HEVCHERO, in Indice Plantar. Hort. med. Acad. Wittemb. p. 13.) mirum hinc non est, quod similes cum Plantagine vires eidem adscriptæ sint, nempe adstringendi, refrigerandi, siccandi & tandem consoliddandi, uti Sim. PAVLI ac DALE statuunt. Aquam, ex herba discissa mense Junio destillatam, TABERNÆMONTANVS in fabulo & calculo renum, ad ureteres, viscositate quadam obstructos, referandos, nec non contra haemoptysin, diarrhoeam & haemorrhagiam uteri commendat.

## §. XX.

Paucis nunc restat, ut aliqualem etiam ultimæ speciei mentionem injiciam, nempe Coronopi R VELLII, de quo hic ipse l. c. p. 373. ita scribit: Sed non ab re venit in mentem illius herbule, que protritis itineribus & seminis passim viret, quasi pedibus calcari latetur, bumi semper sparsa proserpit, folio in multis partes laciniato, sessilibus caulinulis, flore candido, exili, involucris semen orbicularibus, per ambitum echinatis, in quibus duplices prominulo ventre sinus extuberant, singuli singulorum semen capaces. Vulgus, quoniam folium hinc inde dissectum cervinum

cornū æmulatur, hoc ei nomen non immerito dicitur. Cruda miscetor aliis acerariis, & cocta cum aceto & sale comeditur, Portulacæ modo condita aptid plerosque reservatur. Nascitur in semitis, & rependo in humo undique serpit. Erfurti in plateis ad vias, ut & ad gradus B. M. V. crescit copiose. De hoc *Ruellii Coronopo LOBELIVS in Adversariis p. 186.* vires exploratores profert, quas multos Medicorum in admirationem rapere dicit, videntes, hancce herbam aut introsumtam, aut præcordiis admotam, accessiones ab obstructione ortarum febrium protinus, & quasi fascino amoliri, præfertim imperitis cursoribus hoc auxilio esse.

T A N T V M.  
S. D. G.

COROLLARIA.

- I. Datu*r* Principium motus internum in homine, idque unicum saltem, immateriale.
- II. Omnes hujus Principii actus absolvuntur instrumento incorporeo & certum semper respiciunt finem.
- III. Solidæ corporis vivi partes, quoniam ex fibris elasticis sunt conflatæ, semper ad motum magis, quam ad quietem sunt pronæ.
- IV.

- IV. Vita est actus animæ in corpore suo, quo  
hoc ratione materialis suæ constitutionis  
ad putredinem vergens, abinde defendit,  
& in integritate conservat.
- V. Formalis vitæ ratio consistit in motu.
- VI. Motuum vitalium instrumentum est san-  
guis, tanquam primum & perpetuum mo-  
bile Microcosmi. Consectarium illorum  
est calor, & effectus ordinarius sanitas.
- VII. Sanguis fit in toto corpore & in qualibet  
ejus parte.
- VIII. Sanguis sub respiratione incalescit potius  
quam refrigeratur.
- IX. Datur vera, & simul morbosa sanguinis  
abundantia.
- X. Tributum lunare in sequiori sexu magis ex  
vitiata quantitate, quam depravata qual-  
itate sanguinis dependet.
- XI. Motus febriles minime tumultuarii & in-  
ordinati, sed proportionati & salutares sunt,  
adeoque effectus febrium, ratione intentio-  
nis Naturæ, utilis potius, quam noxius est.
- XII. In Diarrhoeis inveteratis, & Dysenteriis  
quibusvis egregium specificum est Deco-  
ctum Corticis arboris Simaruba.

\*\*\*

\* \* \*

Die die Arbeit so der Lohn, wie der Anfang, so das Ende;  
Wer obsiegt erhält die Eron, wer da eilet, kommt behende  
Zu dem vorgestreckten Zie. Zu den sich gesetzten Schranken  
Geht er voller Eyffer fort, ohn zu weichen und zu wancken.  
Du hast Werthgeschäkter Freund! in Minervæ Dienst ge-

standen,

Es kam Dir zu keiner Zeit ihre Arbeit schwer zu handen,  
Du bemühst Dich Tag und Nacht, Ihr gefällige Werck zu  
treiben,

Nur damit Sie Dich dereinst Ihrer Schaar möcht einverleiben.  
Weil nun, tapffrer Musen Sohn! Du bist unermüdt gewesen,  
Hat Sie nicht umhin gekonnt, Dich zum Mitglied auszulesen,  
Derer, die nach Sorg und Müh, nach erlittenen Beschwerden,  
Unter Jubel, Freud und Lust einft von Ihr gerdnnet werden.  
Du erhältst heut jene Ehr, die Du schon längst meritiret,  
Dein Haupt wird von Musen selbst mit dem Lorbeer-Erank  
gezieret;

Ich thu Deine Doctor-Würd' mit dem treuen Wunsch be-  
gleiten,  
Dass sie Dir mög Geld und Gut, Lob und Ehr und Ruhm er-  
beuten.

Mit diesen geringen Zeilen wolte sich dem  
Herrn Doctorando, als seinem gewese-  
nen Herrn Commensali, bestens recom-  
mendiren

B. G. ALBRECHT, Med. Candidat.  
Oppon.

Da

**D**u mich die Schuld und Pflicht, Geehrter Freund/ eto  
mahnt,  
Dein wohlverdientes Lob und Ehre zu besingen,  
So wanckte mein Kiel, es wolt sein Thon nicht klingen;  
Weil ihm Parnass Schaar den Weg nach Wunsch nicht bahnt.  
Drauf sprach der Freundschaftis Treu: Ermuntre Dich mein  
Sinn!

Es pflegt bey Nedlichkeit was schlecht und recht zu gelten,  
Mehr als der Kunst Gedicht und hohe Ruhm der Helden;  
Drum geht mein Herzens Wunsch ohn Verbehalt dahin,  
Den hoch-gepriessnen Fleiss beglück des Himmels Krafft!  
Dein Purpur werd erhöht in den berühmten Francken,  
Wohin Dein Leit-Stern Dich nun führt zum Heyl der Kranken  
Und schwängre Deine Kunst durch seiner Wirkung Saft.

Mit diesen wenigen und schlechten Zeilen wolte  
dem Herrn Doctoranden, als seinem werthges-  
chätzten Freunde, bey der Promotion, aufrich-  
tig und schuldig gratuliren, und sich zu se-  
iner geneigten Andenken bestens recommen-  
diren, Dessen aufrichtigster ergebner Freund  
und Diener

V. M. HORNSCHVCH, Med. Cult.  
Opponens.

**D**at Galenus opes, summos & tradit honores,  
Namque Tuum ingenium nobile prodit opus  
Ac vis ingenii, præclaraque indolis ardor  
Protinus erumpit, neve latere potest.  
Gratulor ergo Tibi, mox ample soenore messis  
Compensem studii tædia longa Tui.

Ita vovet Nobilissimo ac Expe-  
rientissimo Dno Doctorando,  
nomini ipsius addicissimus.

JOANNES NICOLAVS Henne, Med. Cult.

Nos

**N**Os Medicina docet rerum cognoscere causas  
Expediens quo quis morbida fonte fluat.  
Post hæc expromit medicamina clavis ab arte,  
Qua bene doctus erit, qui feret auxilium.  
Hac fuit illustris Podalirius atque Machaon,  
Hippocrates columnus fidaque spes hominum.  
Nam quoties agrum vite spes deficit omnis,  
Hinc toties currunt, proroget ut Medicus.  
Hac valeas quid re medica tradunt documenta,  
Qualia sponte sua culta Minerva probat.  
In primis dignum Te laude chorus Medicorum  
Afficit, & gaudet talibus usque viris.  
Gratulor ergo Tibi, quod tam fueris decoratus,  
Atque perenne Tibi conciliasse decus.

Paucis his voluntatem erga  
amicum suum multo fa-  
vissimum publice testari  
voluit

JOH. CHRIST. Langguth, Med. Stud.



JOHANNES MOCULAS. Quine May 1617

Nr. 19 als Titel nicht zu  
identifizieren!

01 A 6537


f

TA→OL

nur Stck. 12 bis her verknüpft



1002



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Blue

Cyan

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICO-BOTANICA,

DE

# CORONOP OPTIMO COELIACORVM ACETARIO,

QVAM,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PLVRIMVM REVERENDO ET EXIMIO

DN. JO. DANIELE RICHARDO  
SPOENLA,

ECCLES. COLLEG. AD S. SEVER. CANON. CAPIT. ET SCHOLAST. S. S. THEOL.  
DOCTORE, SACRÆ FACVLT. ET JVDICII ECCLESIASTICI ASSESSORE  
ET PROF. PVBL. ORDINARIO,

INDVLTV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA ET PER ANTIQVA HIERANA,  
PRAESIDE

DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,  
SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE, PATHOL.  
ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO,  
SERENISS. SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSILIARIO  
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS.  
COLEGA,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,  
PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

JOANNES WILHELMVS DIETZ,  
*Eussenbus. Francus, A. A. L. L. & Philosoph. Magister.*

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONVENTIS.

DIE XXIII. JVNII, A. M DCC XXXIX.

ERFORDIAE, Litteris HERINGII, Acad. Typogr.